



DRVSVS, Claudi Cæsaris pater, olim Decimus, mox Nero prænomine, ex Liuia Drusilla natus est, intra mensem tertium quām grauida abducta esset ab Augusto, ex contubernio ac matrimonio Tiberij patris Imperatoris: fuitq; suspicio ex vitri co per adulterij consuetudinem procreatum Drusum. Is in Quæsturæ Præturæque honore, dux Rhetici, deinde Germanici belli, Oceanum Septentrionalem primus Romanorum ducum nauigauit: trānsq; Rhenum fossas noui & immensi operis effecit, quæ Drusianæ vocatæ sunt: hostem frequenter cæsum in intimas solitudines egit. Initio consulatu, atq; expeditione repetita, obiit diem in æstiuis castris, quæ ex eo scelerata sunt appellata. Hunc Augustus tantopere & viuum dilexit, vt cohæredem semper filiis instituerit: & defunctum ita pro concione laudauerit, vt deos precatus sit similes ei Cæsares suos facerent: sibi que tam honestum quandoq; exitum darent quām illi dedissent. nec contentus elogium tumulo eius, versibus à se compositis insculpsisse, etiam vita memoriā prosa oratione cōposuit. Vide Suet. in C. Clau. Cæ.

ANTONIA minor, Drusi supradicti vxor fuit, ex qua liberos complures suscepit, verūm tres omnino reliquit, nempe Germanicum, Liuillam, & Claudium, qui postea imperauit. Hęc Antonia M. Antonio, & Octavia genita est, quę sororem habuit maiorem eiusdem nominis, Domitij Aenobarbi vxorem. Vide Plutar. in M. Antonio.